

ubi summarium inquit: « In impetratione beneficiorum inspicitur data, non præsentatio, vel receptio. »

72. *Ac etiam quoad rescripta gratiæ et ad beneficia.*— Hinc c. *Si eo tempore*, 9, h. t. in 6, Pontifex resolvit, virtute rescripti beneficiæ non posse conferri beneficium curatum illi, qui tempore *Data* ipsius rescripti nondum habebat ætatem idoneam ad illud, etiamsi postmodum fuerit effectus legitimæ ætatis: quia nimirum in litteris ad beneficia impetratis inspicitur tempus *Data*. textus, Glossa, et doctores ibidem.

73. *Ac etiam quoad rescripta gratiæ et ad beneficia.*— Similiter in Clem. ult. h. t. pariter deciditur, quod litteræ apostolicæ super conferendo beneficio vacaturo, non extendantur ad beneficium post *Datam* earum creatum, seu primo erectum. Item c. *Tibi qui* 12, h. t. in 6, et c. *Eum cui*, 7, de *Præbend.*, in 6, cum similibus, quoad impetrationem præbendæ vacantis, vel proxime vacaturæ, præfertur ille, qui prius litteras impetravit, licet alius, similem gratiam postea obtinens, suas litteras prius præsentaverit, prout amplius dicitur infra n. 95 et seqq.

74. *Gratia papalis, an perficiatur ex sola signatura?*— Nec dicas: Gratia papalis perficitur ex sola signatura. Rota, decis. 418, n. 3, p. 1, *divers.*; Cassadorius, decis. 4, n. 2, de *Caus. possess.* Imo et solo verbo gratia principis perficitur; Bartolus, in l. *Humanum*, v. *Breviter*. C. de *Legib.* Parisius, consil. 5, n. 60, lib. IV. Rota, in Bononiensi de *Binarinis* 5 martii 1618, coram D Andrea: ergo in litteris gratiosis Papæ potius attendi debet tempus signaturæ, sive concessionis, quam *Data* Resp. enim antecedens, cæcis casibus exceptis, et illico specificandis, merito revocari in dubium; nam in regula 27. Cancellariæ apostolicæ, per SS. D. N. Innocentium PP. XII, reassumpta, dicitur, « quod ante confectionem litterarum gratia apostolica sit informis. Ac proinde ibidem statuitur, « quod iudices non juxta supplicationem signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in romana curia dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes, per *Placet*, vel per S. R. E. vice-cancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas judicare debeant. » Idemque loquendo de dispensationibus repetitur in regula 52, quæ inscribitur: « Nulla suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis.

Verum quidquid sit de antecedenti, negatur consequentia. Quinimo simul stat utrumque: nam Papa censetur signasse supplicationem a die, sub qua apparet data a datario per ipsum Papam ad hoc munus deputato, neque admittitur probatio in contrarium. Barbosa, lib. III, *jure eccles. unic.*, cap. XIII, n. 199, post Puteum, decis. 94, lib. II, in correct. Stephan. gratian., *discept. forens.*, c. 191, n. 1 et seqq., et alios.

75. *Conditio apposita suspendit effectum concessionis pontificæ.*— Additur notanter num. 69. Dummodo in istis, sive rescriptis gratiosis, « non fuerit apposita aliqua conditio: » ut puta, conditio acceptationis, vel electionis, prout exemplificat Baldus, cit. num. 18. Nam conditio apposita suspenderet effectum dispositionis, seu concessionis pontificæ eumque rejiceret in eventum futuræ conditionis, l. *Cedere diem*, ff. de *Verb. signif.* Menochius, consil. 63, n. 28, ac proinde non posset attendi tempus *Data*, sed potius tempus eventus conditionis.

76. *Declaratur, in ordine ad quos effectus in rescriptis justitiæ attendatur tempus Præsentatæ, vel aliud tempus.*— Possunt etiam contra datam conclusionem objici plura jura, in quibus quoad rescripta attenditur aliud tempus, quam *Data* in litteris gratiosis, et *Præsentatæ* in litteris justitiæ; prout fusius ostendit Glossa in c. *Dilectus filius*, vers. *Recepturunt*, et Abbas ibid., num. 7, de *Præbend.* Verum facile respondetur diversificando casus, et sic jura juribus concordando. Licet enim in rescriptis justitiæ, ad hoc, ut iudici delegato conferatur jurisdictio, attendatur tempus factæ præsentationis eorumdem, ut dictum: nihilominus quoad alios effectus tale tempus non attenditur. Sic quippe respectu actionis, super qua talia rescripta impetrantur, consideratur tempus *Data*, text. clar., cap. ult., h. t., ubi cavetur, ne rescripta justitiæ ad futuras trahantur controversias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ. Deinde in rescriptis justitiæ, quantum ad eorum perpetuitatem, sive quantum ad perpetuandam jurisdictionem iudicis delegati post mortem principalis, inspicitur tempus factæ citationis per delegatum, c. *Gratum*, 20, et c. *Licet* 30, de *Offic. delegat.*, cum concordantiis. His præter alios adde casum illum, quo iudex datus tempore impetrati rescripti fuit excommunicatus, et ante ejus receptionem absolutus: nam tunc litteræ ab initio fuissent nullæ, sicque postea per absolutio-

nem reconvalescere non possent. Glossa, loc. cit. et Abbas ibid. n. 12.

77. *Ac in rescripto gratiæ, seu ad beneficia attendatur tempus Data, vel aliud.*— Similiter in rescriptis gratiæ, seu ad beneficia, consideratur quidem tempus *Data*, quando gratia jam est perfecta, sicque jus parti quæsitum; ac etiam, quando quæritur de viribus rescripti, et commissa, vel non commissa subreptione, c. *Constitutus*, 19, h. t. Quia enim impetranti imputandum non est, si non faciat mentionem de his, quæ tempore *Data* nondum erant, bene tamen, si taceat necessario de jure exprimenda, quæ tunc existebant: hinc quantum ad valorem rescripti, et evitandam subreptionem, necesse est attendi tempus *Data*. Nihilominus in pluribus aliis casibus hoc tempus non consideratur: nam imprimis, quando gratia nondum est perfecta, sed mandatur primum fieri, seu conferri per alium, tunc inspicitur tempus inchoatæ executionis mandati, ad hoc, ut censeatur non expirare per mortem concedentis, c. *Si cui*, 36, § fin. de *Præbend.* in 6.

78. *Ac in rescripto gratiæ, seu ad beneficia attendatur tempus Data, vel aliud.*— Deinde, quantum ad convincendam inobedientiam, seu negligentiam non parentis mandato apostolico, inspicitur tempus receptionis litterarum, seu notitiæ: quia non potest quis dici inobediens, vel negligens, si ignorat mandatum superioris. Et in hoc casu procedit, cit. c. *Dilectus filius*, 27, de *Præbend.* et cap. 1, de *Concess. Præbend.* in 6.

79. *Ac in rescriptis gratiæ, seu ad beneficia attendatur tempus Data, vel aliud. Motus proprius purgat subreptionem, ac defectum ætatis pro tempore Data, rescriptis beneficialibus.*— Insuper, si motu proprio Papa mandat cuiquam, v. g. Titio, provideri de beneficio proxime vacaturo, sufficit, quod Titius habeat legitimam ætatem tempore vacantis beneficii, licet nondum habuerit tempore *Data*, argum. c. *Et cui*, 29, juncta Glossa fin., de *Præbend.* in 6. Nam motus proprius, qui purgat subreptionem, c. *Si motu proprio*, 23, eod. in 6, et Clement., *Si Romanus*, 4, eod. purgat pariter defectum ætatis pro tempore *Data*; ac proinde sufficit, si Titius habeat legitimam ætatem illo tempore, quo recepturus est beneficium. Et sic oportet limitare, c. *Si eo tempore*, 9, de *Rescript.*, in 6, ut non procedat in litteris motu proprio concessis. Abbas in cit. c. *Dilectus filius*, n. 9, et Joan. Andreas, ibid. de *Præbend.*

§ IV.

DE PRÆLATIONE, SEU PRÆVALIDITATE RESCRIPTORUM, QUANDO PLURA SUNT IMPETRATA.

80. *Plura sunt hic distinguenda.*— Hanc materiam fuse tractat Glossa magna in cap. 1, h. t., et Abbas, aliique doctores ibidem, distinguendo plura membra ipsius: unde ut ordinate, clareque procedatur, expedit distinguere, ac singillatim loqui de rescriptis justitiæ, de rescriptis ad beneficia ecclesiastica, et de aliis rescriptis gratiosis, ipsisque privilegiis. Unde

81. *Si primum rescriptum justitiæ est generale et alterum speciale, valet speciale.*— Quæritur I. Quodnam ex pluribus rescriptis justitiæ, seu ad lites impetratis, sit præferendum? Resp. I. Circa hoc imprimis est attendendum, utrum ex duobus rescriptis per diversos impetratis, unum sit speciale et alterum generale, nec ne. Et quidem, si primum rescriptum sit generale, et alterum ab adversario impetratum sit speciale, valet speciale, etiamsi de priori generali non faciat mentionem, text. clar. cap. 1, et c. *Pastoralis* 14, § *Quoniam*, h. t. Ratio est, quia « speciale mandatum derogat generali, » prout ibidem dicitur. Concordat reg. 34. juris in 6, et l. *In toto*, ff. de *Reg. jur.* ibi: « In toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur quod ad speciem directum est. » Glossa magna cap. 1, h. t.

82. *Dummodo generalitatis illius non prius facta sit specificatio.*— Limitatur hoc cit. § *Quoniam*, dummodo tamen generalitatis illius non prius facta fuerit specificatio, exprimendo videlicet nominatim personas, vel res illas, super quibus conveniendis priores illæ litteræ generales impetratæ sunt. Nam facta tali specificatione, seu nominatione personarum, vel rerum, jam cessat ratio generalitatis; sicque litteræ speciales, postea primum impetratæ, non amplius derogant prioribus: quia licet hæc de se fuerint generales (non quidem respectu iudicis, sed respectu personarum, vel rerum conveniendarum. Abbas citat. §. *Quoniam*, numer. 1.) nihilominus facta harum specificatione effectæ sunt speciales.

83. *Et a potiori, quando primum rescriptum est speciale, alterum generale, prævalet speciale.*— Quod si primum rescriptum fuerit speciale, et secundum generale, a po-

tiori idem erit juris, et valebit speciale: idque tum ratione prioritatis in obtinendo, tum ratione specialitatis, per jura proxime allegata, juncto c. *Abbatem*, 40, h. t. ubi Glossa, §. *Pen litteras*, indistinctim concludit, quod generale mandatum secundo impetratum, non deroget speciali primo impetrato.

84. *Quid juris, quando utrumque rescriptum est generale?* — Resp. II. Quando utrumque rescriptum est generale, tunc attenditur illud, quod est magis speciale: Rebuffus, tract. *de Rescriptis*, num. 104; Valensis h. t. §. 3, n. 3, et favent jura proxime adducta. Quod si vero nulla major ratio specialitatis potest notari in uno, quam in altero (quod tamen in praxi vix locum habet) prævalet primum, nisi in secundo fiat mentio de priori, prout illico dicitur de duobus rescriptis specialibus: *Uade*.

85. *Si utrumque rescriptum justitiæ est speciale, et posterius facit mentionem de priori, valebit secundum, non primum: secus, quando in secundo non fit mentio de priori.* — Resp. III. Si tam primum, quam secundum rescriptum justitiæ est speciale, dum duo v. g. super unam eandemque causam diversa rescripta ad diversos judices delegatos impetrarunt; tunc vel posterius facit mentionem de priori, et valebit secundum, non primum: vel in secundo rescripto per adversarium impetrato non fit mentio de priori, et valet primum, ac secundam habetur subreptitium, estque invalidum. Ita habetur decisum c. *Cæterum*, h. t. et tradunt ibi Abbas, ac doctores communiter, juncto c. *Ex litteris*, 2, de *Dolo et contum.* Ratio est, quia si posteriores litteræ faciunt mentionem de prioribus per adversarium impetratis, censetur Papa prioribus velle derogare. Secus est, quando in eis non fit mentio de prioribus; tunc enim Papa videtur circumventus, nec daturus ejusmodi litteras, aut saltem non eodem modo, et sub eisd. m. clausulis, si priorum fuisset recordatus, juxta c. *Ex parte* 12, de *Offic. delegat.* ibi: «Quoniam si memores fuissetis, nos pro predictis litteris direxisse, pro adversario nullatenus scripsissetis.» Adeoque posterius rescriptum, non facta mentione de priori impetratum, est subreptitium, et neutiquam subsistit, idque defectu voluntatis concedentis.

86. *Quando prius rescriptum communi partium consensu fuit impetratum, non valet secundum nisi etiam hoc exprimat.* — Limita tamen prius partem, quando prius rescrip-

tum communi consensu partium fuit impetratum: nam tunc non valet secundum, quod alterutra pars, altera nesciente, impetravit, etiamsi prioris rescripti mentionem faciat, nisi etiam expressum sit, quod illum de communi consensu partium impetratum fuerit. Patet hoc ex cit. c. *Cæterum*, §. fin. juncta Glossa, §. *De commissione*, h. t. et notat Abbas, ibid. num. 3, cum aliis. Ratio est, quæ supra: quia nimirum si Papa scivisset primum rescriptum fuisse obtentum de communi consensu partium, non dedisset secundam, vel saltem non tam faciliter, ac sub eisdem clausulis, ad petitionem alterius dumtaxat partis arg. l. *Observandum*, ff. de *Judiciis*.

87. *Imo impetrans secundum, præter hujus nullam, adversæ parti condemnatur in expensis.* — Adde, quod sic malitiose, vel fraudulenter impetrans secundum rescriptum, præter hujus nullitatem, etiam parti adversæ condemnari debeat ad expensas, si quas fortasse occasione hujus fecerat, veniendo v. g. in iudicium ad citationem secundarum litterarum, ut prioris rescripti validitatem propugnaret, vel ex alia hujusmodi causa laborem seu expensas impendendo: cit. c. *Cæterum*: et Glossa, ibid. §. *Laborare*, h. t. et c. *Ex Litteris*, 2, de *Dolo et contum.*

88. *Quid, si impetrans primum rescriptum, eodem intra annum, uti neglexerit? Et unde talis negligentia probetur?* — Limita quoque alteram datæ conclusionis partem, ut non procedat, quando impetrans primum rescriptum, dolo vel negligentia eodem per annum, habita copia iudicis delegati, uti postposuit. Tunc enim, juxta dicta superius num. 60, valet secundum rescriptum impetratum ab adversario, licet non faciat mentionem de primo, text. clar. c. *Si autem*, 9, h. t. et c. *Plerumque*, 23, eod. Ubi Glossa fin. recte notat, quod transcursum anni probet negligentiam nec alia interpellatio sit facienda; nisi prior impetrans velit ostendere contrarium, probando videlicet impedimentum, ob quod copiam iudicis habere non potuit, haud obstante sua diligentia in eodem acquirendo: quæ satis probatur, si tempore impedimenti super hoc publice fuit protestatus. Abbas in d. c. *Plerumque*, num. 6, h. t.

89. *An perdatum rescriptum per sollicitudinem prævenientis, si nempe secundum rescriptum presentetur ante primum? Ponitur sententia affirmativa.* — Addit Glossa in c. *Cæterum*,

† *Judicio*, h. t. quod etiam perdatum rescriptum per sollicitudinem prævenientis: ut si impetrator secundi rescripti justitiæ illud primo præsentavit iudicibus delegatis, ac vigore ipsius citatio partis facta est. Idipsum tenet Glossa magna, in cap. 1, h. t. et c. *Ut debitus*, 59, §. *Assignate*, de *Appellat.* Ratio esse potest: tum quia per rescriptum ad lites neque confertur, neque aufertur jurisdictione, antequam litteræ sint præsentatæ iudicibus delegatis, c. *Super eo*, 12, de *Appellation.* et cit. cap. *Ut debitus* 59, eod. atque amplius probat Felinus c. *Cæterum* 3, num. 11, h. t. quæ de causa in rescriptis justitiæ attenditur tempus factæ presentationis, ut dictum num. 69; tum quia per citationem perpetuatur jurisdictione, et non ante; ut c. *In gratum*, de *Offic. delegat.* et c. *Proposuiti* 19, de *Foro compet.* cum similibus.

90. *Sed improbat.* — Verum hanc Glossæ opinionem Abbas in d. c. *Ut debitus*, num. 22, et seqq. ex professo impugnat, ac rejicit, haud obstante, quod fateatur, eandem tempore conditæ Glossæ fuisse communem, et nullum (ut audierat) invaluisse in curia Romana: eandemque mentem Glossæ reprobat Barbosa in c. *Cæterum*, num. 3, h. t. Ratio est, quia ex una parte jura num. 185, allegata expresse disponunt, quod stetur priori rescripto, ac secundum sit subreptitium, neque a Papa fuisset concessum, si recordatus esset prioris: et alioquin primus impetrans, qui forte in nulla culpa fuit, privaretur jure suo, ac frustraretur laboribus, et expensis suis absque causa, contra can. *Satis perversum*, dist. 56, et c. *Sine culpa*, de *Reg. juris* in 6. Ex altera vero parte jura, numer. 89, allegata, nihil convincunt in casibus diversis; ac oppositum imo loquuntur proinde neutiquam admittenda est priorum iurum correctio.

91. *Ejusque fundamenta solvuntur. Iudex idoneus, quis? Quod exceptione repellit potest habetur pro inutili.* — Siquidem in c. *Gratum*, de *Offic. delegat.* cum similibus, sermo non est de iudice dato per secundum rescriptum non facta mentione prioris, sicque subreptitiæ obtentum; imo de tali secundo rescripto nec minima est mentio, ut patet ex textu. Deinde cit. c. *Ut debitus*, de *Appellat.* procedit, quando quis non vult respondere coram iudice idoneo, a cujus citatione jam præventus est, allegata illa exceptione, quod prius nuntium miserit ad Sedem apostolicam, vel quod ab eadem litteras impetraverit, quas

tamen non vult præsentare: atqui iudex idoneus non est, qui fuit datus per secundum rescriptum subreptitiæ obtentum; nam ille solus est idoneus, qui nulla exceptione repelli potest, cap. 1, juncta Glossa. §. *Idonei*, de *Testib.* Et illud quod exceptione repelli potest, habetur pro inutili, ac quasi pro nihilo, l. *Si ita stipuler*, ff. de *Verb.* Unde patet, capitulum illud urgere. Multo minus urget illud in quod rescriptis justitiæ attendatur tempus præsentatæ: nam hoc procedit solum in rescriptis legitime, ac valide obtentis; non autem in subreptitiæ impetratis, quale est secundum non faciens mentionem de priori.

92. — *Secundum rescriptum ad lites, absque mentione prioris impetratum, non est ipso jure nullum sed ope exceptionis annullandum.* — Resp. IV. Nihilominus secundum rescriptum ad lites nulla facta mentione de priori impetratum, non est ipso jure nullum, sed ope exceptionis annullandum; ita ut processus per iudicem posteriori rescripto datum formatus valeat, si contra istud ab adversa parte non excipiatur. Ita abbas Panormit. in c. *Cæterum*, num. 8, et Felinus, ibid. n. 10, h. t. post Innocentium, Hostiensem, Goffredum, et ferme communem omnium doctorum. Ratio est, tum quia, si primus impetrans dolo, vel negligentia intra annum non utatur rescripto a se prius impetrato, potest is conveniri auctoritate posterioris rescripti per adversarium obtenti, licet in hoc non sit facta mentio prioris, c. *Si autem*, 9, et c. *Plerumque*, 23, h. t. Ergo istud a principio non fuit ipso jure nullum: alioquin enim non posset successu temporis convalescere ob negligentiam alterius; nam quod nunquam valuit, postea non potest reconvallescere, c. *Non firmatur*, de *Reg. juris*, in 6, cum similibus; tum quia tunc per consensum partium tacitum, vel expressum proceditur: unde tenet sententia, cum sit lata a iudice suo, nec contra jus constitutionis, ut probat Glossa magna in c. *Ad audientiam*, 31, h. t.

93. *Solvuntur instantia.* — Nec obstat textus sæpe cit. c. *Cæterum*, 3, h. t. ibi: «Nec secundæ litteræ obtinent alicujus roboris firmitatem.» Resp. enim, hoc dici, non quod ejusmodi litteræ ad lites ipso jure sint nullæ, sed quia in effectu nullæ sunt, cum ope exceptionis elidi possint; prout in simili dicitur l. *Si dari stipuler*, ff. de *Verb. obligation.* ibi: «Quia superior (stipulatio) quasi nulla sit, exceptione obstante.»

94. *Verba illa:* «Vires nolumus obtinere,

nullam obtineant firmitatem. » etc. *Quando importent nullitatem ipso jure?*—Dices. verba illa, « Vires volumus obtinere, » importent nullitatem ipso jure in litteris beneficialibus; ut notatur in c. *Ad aures*. 8. h. t. Idemque dicendum de verbis illis; « Nullam obtineant firmitatem; » sicuti patet ex c. *Quod in dubiis. de Renuntiat.* et l. *Prolatam. C. de Sentent. et interlocut.* cum similibus: ergo pariter in proposito verba illa, « Nec obtinent alicujus roboris firmitatem, » importent nullitatem secundarum litterarum ad lites ipso jure. Resp. cum Felino in c. *Cæterum*. num. 10. h. t. neg. consequent. Quia licet ejusmodi verba denotent nullitatem ipso jure in materia in qua per alia jura non est declaratum, quod sit opus exceptione: secus tamen dicendum, ubi sic est declaratum; prout fit in proposito, sive in rescriptis ad lites, per cit. c. *Si autem.* et c. *Plerumque*. h. t.

95. *Papa non intendit gravare eandem Ecclesiam, seu collatorem, super receptione duorum ad beneficium, nisi id expresserit.*—Queritur II. Quodnam rescriptum beneficiale prævaleat si diversa a duobus rescripta super beneficio in eadem Ecclesia sibi conferendo impetrantur? Ubi nota, quod in dubio, seu cessantibus clausulis aliud exprimentibus, Papa non intendat gravare eandem Ecclesiam, seu eundem collatorem, super receptione ac provisione duorum; adeoque uno beneficium obtinente repellatur alter, c. *Mandatum*. 38, et c. *Abbatem* 40 h. t. juncto c. *Duobus*. 14. eod. in 6, ibi: « Quo electo alter omnino careat impetratis, nisi ex tenore litterarum ipsius expresse appareat, quod utrique ipsorum providere voluerimus: » ut puta si Pontifex addat clausulam « Non obstante, quod pro alio scripserimus, » aut hujusmodi, juxta Glossam, ibid. §. *Expresse*. Hoc prænotato,

96. *Si diversa a duobus rescripta super beneficio in eadem Ecclesia sibi conferendo impetrantur, simulque constet, quis primo impetraverit: regulariter statur datæ, non presentationi: sicque præfertur primus impetrans.*—Resp. I. Si duo super beneficio simili in eadem Ecclesia sibi conferendo litteras apostolicas impetrarint, simulque constet, quis primo impetraverit, regulariter statur datæ, et non presentationi; adeo, ut primus impetrans præferatur, non autem ille, qui prius suas litteras præsentavit. Ita Abbas cap. I. n. 14, h. t. Felinus in c. *Capitulum sanctæ Crucis*. n. 5, eod. et alii communiter. Nam

cæteris paribus locum habet. reg. 54, juris in 6. « Qui prior est tempore, potior est jure, » Confirmatur id ipsum ex cit. c. *Mandatum et c. Abbatem*. h. t. et amplius ex c. *Eum cui*. 7, de *Præbend.* in 6, ubi ex professo decernitur, quod is, cui canonicatus alicujus Ecclesie a Sede apostolica est collatus, omnibus aliis sit præferendus, quibus postmodum in dicta Ecclesia similis gratia est concessa, licet ille nondum fuerit receptus, et isti primo suas litteras præsentaverint, et primo recepti, fuerint in eadem.

97. *Et hoc procedit non solum in provisione beneficii, sed etiam in mandato de providendo. Provisio et collatio beneficii, idem sunt.*—Nec obstat, quod hic sermo sit solummodo de provisione, seu collatione beneficii (quæ duo idem sunt, ut probat Glossa ibidem in casu) per ipsummet Papam facta, et per quam beneficium jam censetur affectum, sive alteri obligatum: ac proinde dubitari possit, an idem procedat de gratia expectativa, ac mandato apostolico, quo Pontifex mandat cuiquam conferri beneficium vacans, vel proxime vacaturum, nondum autem confert; cum longe diversum sit, *Conferre*, et *Mandare conferri*. Glossa, loc. cit. §. *Collatus*. Resp. enim, non obstat: idque tum ob paritatem rationis; tum quia idipsum de gratia expectativa, seu mandato, quo Papa mandat cuiquam provideri de beneficio, v. g. de canonicatu certæ Ecclesie, habetur expresse decisum in c. *Tibi, qui*. 12, h. t. in 6. Adeo quidem, ut ibidem impetrans primum mandatum, alteri præferri jubeatur in consequenda præbenda canonicali, licet iste prius præsentaverit litteras suas, atque in canonicum jam receptus sit: dummodo tamen huic inferiori præbenda vacans ante receptionem prioris actu collata nondum fuerit, simulque primus impetrans dolo, aut notabili negligentia, litteras præsentare, ac beneficium petere non intermiserit, prout limitat textus ibid.

98. *Solvitur instantia ex c. Capitulum sanctæ Crucis, h. t. desumpta. Ibi ly, prius sumitur nominaliter, non adverbialiter.*—Dices. In c. *Capitulum sanctæ Crucis*. 30, h. t. jubetur in assecutione beneficii præbendalis ille præferri, « qui ad eos (canonicos *Capituli sanctæ Crucis*) prius mandatum apostolicum reportavit; » ergo in rescriptis an beneficia attenditur tempus presentationis, non datæ. Resp. neg. sequel. Quia, ut notat Felinus ibid. n. 5, et Glossa in d. c. *Tibi, qui*. §. *Receptus*. cum aliis, ly *prius* hic non sumitur adverbialiter,

sed nominaliter, ut sensum faciat, « prius mandatum, » id est, « primum mandatum. » Vel, si placet, ly *prius* sumere adverbialiter, dicendum cum Abbate in d. c. *Capitulum sanctæ Crucis*, n. 4. quod in casu hujus decretalis ille, qui fuit primus impetrator, nomine Callimachus, etiam prius præ alio præsentaverit litteras suas, scilicet monitorias et præceptorias, prout iusnuat textus; sicque merito præferatur alteri.

99. *Fallit data regula in pluribus casibus, in quibus præfertur secundus impetrans. I. Quando, uterque impetravit mandatum de providendo, et posterior impetrans actum de beneficio jam est provisus. Quod rursus limitatur.*—Additur notanter num. 96: « Regulariter statur datæ, et non presentationi. » Fallit enim hoc in nonnullis casibus, quos refert Glossa magna in c. *Si soli*. 6, de *Concess. præbend.* in 6, et Felinus, loc. cit. nu. 5. Et imprimis tunc, quando primus impetrator obtinuit solummodo « Gratiam expectativam, seu mandatum de providendo, » et alius postmodum similes litteras impetravit, easque non solum ante primum præsentavit, sed etiam virtute earum ipsi præbenda actualiter collata fuit. In tali quippe casu præbenda est relinquenda secundo jam proviso, et non amplius conferenda primo; nisi forsan datus executor jam ordinario collatori notificasset se velle per potestatem papalem sibi factam conferre præbendam; vel eidem collationem præbendæ inhibuisset, aut hanc suæ collationi reservasset; vel nisi decretum in litteris primi impetrantis fuisset appositum, quo a Papa irritum et inane decerneretur, si quid contra ipsas contingeret attentari. Patet hoc totum ex d. c. *Tibi, qui*. 12, h. t. in 6, juncta Glossa in *Casu*, et doctores. ibid.

100. II. *Si primo impetranti dolo, vel negligentia in presentando litteras imputetur.*—Fallit ulterius, ac præfertur secundus impetrans, si primo impetranti dolo, vel notabilis negligentia in præsentandis suis litteris potest imputari; prout notatur in cit. c. *Tibi, qui*. §. fin. estque uberius dictum supra n. 88.

101. III. *Ubi secundus impetrator habet in litteris suis clausulam. Anteferri.*—Fallit tertio, ubi secundus impetrator gratiæ expectativæ habet in litteris suis clausulam, *Anteferri*, per quam jubetur omnibus, etiam ante ipsum auctoritate apostolica, vel quavis alia in ejusmodi Ecclesia receptis, anteferri. Nam clarum est, secundum virtute talis clausulæ nptote quæ est revocatoria prioris gratiæ

expectativæ alteri factæ, præferendum esse primo; ut in c. *Quia sæpe*. 15, juncta Glossa §. *Apparet.* et c. *Quodam*. 40. de *Præbend.* in 6, et c. *Auctoritate*. 7, de *Concess. præbend.* in 6.

102. IV. *Quando priori mandato providerit de præbenda, posteriori autem de præbenda et dignitate, etc. ac postea vacet præbenda habens annexam dignitatem.*—Fallit quarto, quando Papa primo mandat provideri de præbenda, deinde mandat provideri secundo de præbenda et dignitate, personatu, aut officio in eadem Ecclesia: tunc enim, si præbenda vacans est annexa dignitati, personatui, vel officio, præfertur secundus: secus, si præbenda sit sola, et non annexa alteri, text. clar. cit. c. *Quia sæpe*. 15, de *Præbend.* in 6. Accedit ratio, quia in tali casu debetur secundo dignitas, personatus, vel officium; ergo etiam debetur eidem præbenda vacans, quæ est annexa tali dignitati, personatui, vel officio: cum sit quid accessorium ad dignitatem, etc. Sicque reguletur secundum eam. c. *Accessorium*. 24, de *Reg. jur.* in 6, et l. *Cum principalis*. ff. eod. cum concordantiis.

103. V. *Ubi secundus impetrator habet jus suum a Papa, sed prius ab inferiore.*—Fallit quinto, ubi secundus impetrator a Papa habet jus suum (intellige jus ad rem, puta ad beneficium acquirendum) sed prius ab inferiore: tunc enim ille, qui receptus est auctoritate apostolica, in assecutione præbendæ præferendus est omnibus, etiam antea receptis auctoritate inferiorum. Textus est in c. *Hi qui*. 12, de *Præbend.* in 6, ac notat Glossa ibid. in casu, dicens, hoc esse verum, quando agitur de jure ad rem: secus, si agatur de jure in re, puta, acquisito per actualem collationem beneficio priori factam. c. *Si a sede*. 31, eod. in 6, Felinus cit. c. *Capitulum sanctæ Crucis*. n. 5, §. *Fallit secundo*. h. t. post Joan. Andream, et Dominic. in c. *Et cui de præbend.* in 6, Pirhing; tit. de *Præbend.* n. 81, et alii.

104. *Qui prior est tempore, potior est jure; quando procedat?*—Nec obstat reg. 34 juris in 6. « Qui prior est tempore, potior est jure. » Nam ipsa locum dumtaxat habet in illis, quorum utriusque par est causa: si autem dispar est causa, non habet locum regula, ut hic, ubi longe amplior conferentis prærogativa habetur in Papa, quam in quacumque inferiore collatore. Glossa in cii. c. *Hi qui*. §. *Antea*.

105. *Si non appareat, quis ex duobus primo*